NONNULLA
DE
TYPHI ABDOMINALIS SYMPTOMATOLOGIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE VI. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRANC. CAMIL. OTTOM. KLATTEN
NEOSEDINENSIS

OPPONENTIBUS:

L. DE NAURATH, MED. ET CHIR. DD.
AEM. WAGNER, MED. ET CHIR. DD.
JOS. BECKERS, MED. ET. CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

AMICO PATERNO

MAXIME COLENDO

FRIDER. REUTER

REGIS BORUSSICI CONSILIARIO IN RE JUDICIARIA.

NEC NON

FRATRI

CARISSIMO, DILECTISSIMO

ED. KLATTEN

DR. MED. ET CHIRURG. EXERCITUS BORUSSICI LEGIONIS DECIMAE TERTIAE PEDESTRIS MEDICO SUPERIORI.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Magnus morborum exstat numerus, de quibus ab hujus aetatis medicis ingeniosissimis aeque diligenter disquisitum atque acriter disputatum est. Nec impar fructuum deprehenditur copia, quos inde in medicinae universae bona cessisse constat.

Quibus morbis typhum sic dictum abdominalem non inepte adscripseris. Nam ex quo Broussais, medicus Franco-Gallicus, cujus tamen proposita levia plerumque atque futilia haudquaquam comprobo, complicatam hujusce morbi indolem observavit, Germaniae, Angliae, Franco-Galliae medicis causa non defuit, animum ad aetiologicam febris nervosae rationem promptius appellendi.

Unde observationum de hac febris specie numerus auctior; deinde observationes ipsae accuratius instituae; denique mutationes pathologicae in cadaveribus hoc typho defunctorum obviae melius explora-

tae et perspectae sunt, donec cognitum est, omnia morborum genera, quae febribus nervosis medicina recentior adscripsit, non ita ad morbum singularem quendam idiopathicum vergere, quin potius causa proxima in affectione locali posita esse videatur, cui typhus tanquam symptoma accesserit.

Quae affectio localis saepissime in inflammatione glandularum et tunicae mucosae tubi intestinalis sita est, rarius tantummodo in hepatis et lienis.

Duplicata haec morbi species nunc Typhi abdominalis nomine insignita est. Quod, quamvis cum re male congruat, cum tamen usitatissimum sit, in hujus morbi symptomatologia exponenda a me quoque retinebitur.

SYMPTOMATOLOGIA.

Cum ex observationibus compluribus in corporibus typho abdominali et laborantium et defunctorum institutis manifesto constet, causam morbi proximam in inflammatione lenta tunicae mucosae tubi intestinalis, nec non partim glandularum ad hunc pertinentium positam esse, nemo dubitabit, quin morbus ipse per longum tempus adesse possit, donec symptomata periculosissimam typhi naturam minantia appareant. Nec minus experientia docet, homines plerumque constitutionis robustae, ideoque inprimis viros in media aetate typho corripi. Feminas raro, senes fere nunquam morbus incedit. Nec si causas occasionales respicias, exempli gratia ventriculum nimia ciborum difficile assimilandorum copia refertum, victus et potus nimiam appetentiam, caloris seu frigoris procacem mutationem et refrigerium abdominis

citius inde exortum, sudores in corporis extremitatibus inferioribus suppressos aliasque hujus modi, ullus dubitationi locus relinquitur.

Symptomata in morbi initio conspicua statum gastricum indicant. Appetitus desideratur, languor et dedolatio artuum aegrotos vexat. Accedunt capitis dolores, vertigo et saepe affectio morbosa, quae in epigastrio sentitur, speciemque doloris pungentis et acuti prae se fert. Si morbus, quod non raro observatur, in superiore tubi intestinalis parte sedem habet, simul vomitus iteratus aegrotos incedit. Quod symptoma, si morbo in tubi inferiore parte locus est, identidem apparere solet et tunc per consensum forte evocatur.

Ex quo haec symptomata observantur, dejectio alvi irregularis, et plerumque obstipatio deprehenditur. Rarissime tantum initio statim morbi diarrhoea incedit. Urinae secretio plus minus turbatur, cujus non sine doloribus emissae color nonnunquam rubidus et natura serosa est. Lotium diutius reservatum mucosum praebet sedimentum. Nec ita semper tenesmus desideratur. Aegroti somnus inquietus, somniisque anxiis insignitus est.

Per dies, vel adeo per hebdomades totosque menses hic status morbi febre carentis retineri potest, donec ad symptomata supra enumerata dolor in abdomine horripilationes quasdam insecutus accedit. Vagus est initio atque hunc vel illum locum sibi eligit; deinde in regione iliaca dextra immutatus re-

manet, qua parte in cadaveribus destructiones tunicae mucosae intestinorum saepissime observantur. Obstructio alvi pertinax in profusam diarrhoeam subito mutatur, quae, si antea jam aderat, longe augetur. Excretorum natura primordio non ita insolens est, mox autem aquosa et flocculis mixta apparet. Aliud et insignius symptoma characteristicum est linguae conditio. Tegimentum mucosum, quod adeo morbi initio in apice, dorso et marginibus exstat, puncta quaedam rubra ornant. Papillae linguae intumescunt, quod in aliis morbis vix unquam observatur. Appetitus omnino jacet; sitis mirum in modum adaucta est. Inquies in somno crescit, saepissime somnus aegrotum plane fugit. Mox etiam conscientia alienatur. Initio nihil nisi tristis et depressa animi habitudo observatur, nunc vero deliria quoque lenia atque inprimis somni tempore ingrediuntur. Plerumque in dorso jacent, ac veluti sollemnia murmurant. Pulsuum non eadem ubique est conditio; sunt enim vel durinsculi, vel paullo molliores, semper tamen frequentes et celeres. Nec de cutis calore et statu certius quidquam contendam. Est tamen semper fere calida, humida, non raro sudore, aegrotum minime levante, tecta. Vespertino tempore, quo febris exacerbatur, symptomata omnia insigniora deprehenduntur. Quibus diebus febris primum observatur, una tantum exacerbatio quotidie exstat, mox matutina et vespertina adest, quae haud raro invicem ita se tangunt, ut nulla fere remissio

sequi videatur. Diarrhoea non flectitur, debilitas augetur, vultus aegroti morbi majoris momenti imaginem repraesentat; pallidus est, e livido luteus, mutatus et deformis. Anguli oris sunt demissi, abdomine tacto dolorem exprimentes. Oculi in orbitam retracti et tristes splendore omnino carent. Iris tensa, pupilla contracta est; aegroti ex sopore vix vixque excitantur. Interdum aegroti verba intelligentes quidem, sed pronuntiare nolentes deprehenduntur. Saepe per hoc tempus singultus repetitus exauditur. Pulsus frequentia et celeritas augentur, saepeque ipse irregularis redditur. Ita morbus ad quintum vel sextum paroxismorum diem producitur. Tunc fauces nonnunquam rubrae redditae ardorem sentiunt, qui tamen deglutitionem parumper tantum impedit potuque hausto per tempus remittitur. Apud alios aegrotos exanthema miliare hisce diebus apparet, maculae purpureae a pectore ad extremitates superiores et abdomen vergentes. Variae illius sunt formae, sed raro tantum in morbi decursu majoris momenti, quamvis a medicis multis pro symptomate critico habeatur.

Hisce symptomatibus conspicuis abdominis dolores multum imminuuntur; diarrhoea autem non mutatur, nisi obstirpatio alvi pertinax rarius per plures dies incedat. Lingua antea mucosa tegimentum mutat atque aliud corio simile adipiscitur, quod postea vel in labios et gingivam extenditur. Vox faucibus haeret, quod symptoma in deliriis vel exacerbationis

tempore saepe desideratur. Deliriorum tempus paullatim producitur, quorum tamen diversa sunt genera. Alterum aegrotorum est iracundorum et furibundorum, qui securitatis causa in lecto colligantur oportet; alterum est mitiorum, qui lassi in dorso jacent et meditantium more singula tantum vocabula emittunt. Posterius multo saepius observare licet. Appetentia prorsus jacet, aegrotique ita sunt attoniti, ut ne potum quidem postulent, quamvis e cupiditate, qua potum et inprimis vinum oblatum hauriunt, sitis ingens conjiciatur. Nova quoque accedunt symptomata, veluti respiratio impedita et strepens, dolores larynge tacto evocati, vox tenuis et tremens, tussis sicca et brevis, quae inflammationem laryngis et pulmonum indicant. Sensuum affectio augetur, imprimis auditus, quae ubique fere ad cophosin procedit. Oculorum acies fixa est, nec nimiam lucem aegre ferre videtur. Debilitas universalis saepe in repetita animi deliquia abit.

Quanto magis febris typhosae symptomata apparent, tanto affectionis inflammatoriae tubi intestinalis minuuntur. Abdomen fortius atque continuo pressum nullum dolorem evocat, ceterum tumet et extenditur; haud raro meteorismus observatur. Pallor faciei ex luteo virescit, ossa multum eminent. Aliis quoque corporis partibus musculatura abit et aegroti cito macrescunt. Diarrhoea remanet. Alvus copiosa ex rubro albescens quinquies vel sexies quotidie deponitur. Urina antea serosa nunc rubescit et turbatur.

Utraque excretio jamjam aegroto nesciente sponte incedit. Ceterum febris ad hunc vehementiae gradum pervenit, ut pulsuum ictus vix numerari possint. Sunt praeterea debiles, minores redditi, paullo tensi, nec raro jam irregulares et intermittentes. Cutis calor admodum adauctus est, atque adeo mordax, praesertim deliriorum tempore. De maculis cutis purpureis, quae et numero et volumine augentur, e plurimorum medicorum observationibus contendere licet, eas deliriorum ratione quadam inversa augeri et minui. Nimirum si exanthema late et large profusum parvis finibus circumscriptum apparebat, deliria mitiora, sin vero in singulis tantum corporis partibus et parumper observabatur, vehementiora. Iidem sibi animadvertisse videntur, deliria augeri, sin exanthematis color fere coeruleus esset, atque forma, ut ita dicam, linearis.

Quando morbus ad hunc apicem pervenit, valetudo bona nunquam fere, quod scimus, restituitur. Excretiones colliquativae accedentes mortem indicant, sive per vomitum, sive per diarrhoeam incedunt. Pulsus frequentia et celeritas augentur, ipse saepius intermittitur. Meteorismus manifesto adest. Respiratio antea jam impedita stertorosa fit. Mors vario tempore et modo insequitur. Si morbi decursus celer et rapidus est, nonnunquam aegrotus quarto vel quinto paroxismi die, viribus vitae consumptis, occumbit.

Si morbus in alias abdominis affectiones, veluti

in peritonitidem et enteritidem transit, mors paullo lentius accedit. Raro tantum transitus in febrem putridam paratur, quo facto consumptionem virium mors comitatur. Affectionibus localibus valde adauctis et ulceribus latius propagatis ipsa tubi intestinalis perforatio subitam mortem gignere potest.

Sin autem curae in certamine cum morbo victoriae palma concessa est, quod nisi morbus ad nimium vehementiae gradum processerit, haud raro fieri solet, tunc haec fere observantur. Deliria continua remittuntur, somnus redit, qui, ut in delirio tremente, in hoc quoque morbo veluti symptoma criticum considerandus est. Pulsus frequentiae solitae sese adpropinquat; quamquam celer adhuc est et creber, tamen non ita irregularis, quam antea deprehenditur. Cutis calore arido statim liberatur, nec non humida redditur. Conscientia mox moxque redit, lingua humida fit et una cum labiis et gingiva tegimentum fuscum, corio simile, amittit. Eodem more dolores capitis, vertigo et diarrhoea minuuntur. Excreta initio adhuc aquosa naturalem paullatim conditionem recipiunt: tumor abdominis evanescit, appetitus redit, ita quidem, ut saepe coerceatur oporteat. Ita aegrotus in stadium reconvalescentiae reducitur, quod rarissime tantum diebus paucis absolvitur, plerumque hebdomades, adeoque toti menses in restituendo aegroti vigore consumuntur.

Ad debilitatem universalem saepe oedema pedum accedit, quod autem solum vix quidquam momenti

habet. Pejor est prognosis, si passim symptomata gastrica, nausea, abdominis dolores et excreta malae conditionis revertuntur. Ex quibus semper timendum est, ne morbus recidivus fiat, quod jam saepe observatum est.

Sunt medici, qui in hoc stadio vel totius epidermidis desquamationem observaverint. Diarrhoeae chronicae pertinaces crebro e typho abdominali originem capiunt.

Multo mitior et in ceteris paullo dissimilis est morbi decursus, cujus sedes potius in tunicae mucosae et mesenterii glandulis, quam in tunica ipsa est. Symptomata affectionis gastricae initio conspicua diutius remanent, decursusque morbi in universum fere chronicus est. Dolores abdominis sunt leviores, abdomen ipsum magis extensum atque tumidum est. In lingua per tegmentum albicans minor est papillarum numerus. Sensorii affectio minutior apparet.

Obductiones e diverso morbi decursu diversam praebent speciem. Si citior erat atque rapidior aegrotusque in apoplexiae symptomatibus mortuus est, tunc in ventriculis cerebri lateralibus non raro liquoris serosi copia deprehenditur. Vasa sanguinea non solum in cerebri superficie, sed etiam in ventriculorum parietibus valde repleta reperiuntur. Laryngis et bronchiorum tunica mucosa secundum inflammatoriae affectionis symptomata plus minusve rubra deprehenditur. Excoriationes raro duntaxat locis singulis conspiciuntur.

Manifestiora inflammationis vestigia in tubi intestinalis tunica mucosa observantur, praesertim in intestino tenui, sub cujus exitum prope valvulam Bauhini tunica mucosa nodulis durinsculis et globosis sparsa invenitur. Circumjacentes tunicae partes rubrae sunt et manifesta praeteritae inflammationis vestigia praebent. Si morbi gradus eximius non fuit, haec tantum tunicae mucosae destructio deprehenditur, aliaque tegimenta proprio vigore gaudent. Verum enim vero, si morbus longius progressus erat, tunc nodulus ille paullatim tumet, epidermis tegens scinditur et parva liquoris serosi copia effunditur, qui ulcus aperturae crateriformis evocat, ex quo in principio pus purum adhuc emanat, quod vero paullatim conditionem saniosam sibi conciliat. Ulcus, quod inaequale et duro fundo, marginibus tumidis, non raro reflexis et levi tactu cruentis insigne est, latius propagatur et in planiorem formam mutatur, dum fundus magis inaequalis et partibus convexis atque concavis refertus apparet. Tectus est secreto coloris varii, saepeque cruento. Ulcera haec parva in majus saepe coalescunt. A veritate abhorrere vix videtur, omnes tubi intestinalis tunicas morbo hunc propagationis gradum assecuto in destructionem transire atque adeo perforari posse.

Diversa sunt medicorum de hisce ulceribus placita. Sunt, qui ea pro tunicae intestinalis exanthemate proprio habeant: alii sedem in glandulis Peyerianis quaerebant. Utriusque sententiae errores re-

centior anatomia demonstravit, si docuit, ulcera nisi in folliculis mucosis tumefactis, inflammatis et ad suppurationem conversis sedem non habere.

Aliud ulcerum genus, quod item in typho abdominali consumptis saepe deprehenditur, imprimis, si morbi decursus rapidus erat et signa antecedentis inflammationis lentae tubi intestinalis in vita manifestius apparebant, saepe in duodeno et aliis intestini tenuis partibus, raro tantum in intestino crasso et recto conspicuum est. Inveniuntur hoc in casu partes quaedam rubescentes in tunica mucosa intestinorum diversae magnitudinis. Rubor in centro manifestior, peripheriam versus paullatim evanescit. Longiore vel breviore temporis spatio praeterlapso excoriationes in locis ita affectis exsistunt, quae in morbi decursu in ulcera mutantur. Postea rotundam seu ellipticam, raro tantum irregularem formam sibi vindicant, margines snperficiem paullo excedunt, extrema eorum pars ex fusco nigrescit, fundus est purpureus et raro tantum secreto mucoso tectus. Ulcera non profunda sunt; peripheria in tunicae mucosae superficie saepe multum dilatata est; nec semper glandulae mesenteriales morbo omnino vacant. Sunt plerumque tumidae, inflammatae, suppuratione correptae. Perforatae punctum molle in medio ostendunt.

Arteriae et vasa lymphatica plerumque mutationis expertia sunt; venae autem imprimis abdominis sanguine saepe quam maxime repletae reperiebantur. Cetera abdominis organa, nullo morbo locali prae-

gresso, regularem conditionem prae se ferebant; nec in abdominis plexibus diversis, nec in medulla spinali novi quicquam observabatur.

Maculae purpureae, de quibus supra exposuimus, in cute deprehendebantur. In quas si incidebatur, liquorem rubrum elicere licebat.

HISTORIAE MORBI.

I. Guilelma Boehlert, sedecim annos nata, constitutione satis robusta ac valida die octavo, priusquam in nosocomium Caritatis reciperetur, frigore, quod calor insequebatur, correpta erat. Qui calor totius corporis auctus die receptionis animadverti adhuc potuit. Simul capitis dolores, vertiginem, nec non tinnitum aurium aegrota conquesta est. Continua jam ex nonnullis diebus diarrhoea, appetitus ciborum imminutus, gustus ingratus, dolor premens in epigastrio aperte demonstrabant, symptomata quoque affectionis cujusdam gastricae non defuisse. Quoad febrem pulsus frequentes, celeres, satis pleni et fortes reperiebantur; sensorium admodum affectum erat; aegrota ipsa valde inquieta, imprimis de illis capitis affectionibus querelas habebat. Lingua in radice muco flavescente valde obtecta erat; cavum oris internum siccum reperiebatur; magna sitis aegrotam vexabat. Accepit mixt. solv. ℥vj.

D. XIV. Vomituritiones et capitis dolores aucti erant. Aegrota emeticum accepit. Vomitus insequens nullius fere momenti erat, nihilominus affectio-

nis gastricae signa evanuerunt. Quae vero statum nervosum indicabant, sub vesperam manifesto crescebant. Mixt. solv. reponebatur et praescriptum est:

℞. Dec. Alth. ℥v
Aq. oxymur. ℥iß
Syr. simpl. ℥i

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

Pro potu aegrota accepit:

℞. Acidi phosphor. ʒij
Syr. rubi Id. ℥iij

D. XV. Ad cutis transpirationem adjuvandam aegrota in balneum posita est. Capitis tam gravati causa, cum congestiones satis conspicuae essent, hirudines sedecim temporibus applicatae sunt. Diarrhoea pertinaciter perseverabat, attamen excrementa nihil novi ostendebant. Clysma ex amylo cum opio applicatum in breve tempus illam sedabat.

D. XVI. Affectionis nervosae signa perdurant; pulsus frequentes, celeres, satis fortes manent. Aq. oxymuriat. dosis paullo aucta est.

D. XVII. Aurium tinnitus aucti causa capiti hirudines duodecim appositae sunt. Ad diarrhoeam sistendam clysma ex amylo c. opio iterum in auxilium vocatum est. Excrementa suspicionem de leni inflammatione tunicae intestinorum mucosae movent.

D. XIX. Status morbi fere idem. Aegrota inquieta manebat; somnus fere nullus adfuit. Aq. oxymuriat. aliis remediis conjuncta est:

℞. Inf. Cascar. [ʒij.] ℥iv
Aq. oxymur. ℥ij
G. arab. ʒiij
Aeth. acet. ʒß
Tr. Opii croc. ℈i
Syr. simpl. ℥i

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

In abdomine vel leniore digitorum tactu sensilitas quaedam animadvertebatur, ad quam imminuendam infrictiones ex ungt. mercur. institutae sunt.

D. XX. Hypochondrium sinistrum inflatum et sensile reperiebatur, loco affecto hirudines sedecim appositae sunt. Alias morbi status mutationem nullam ostendit.

D. XXI. Ad sistendam diarrhoeam pertinaciter perseverantem, quae vires aegrotae consumere minatur, mixtura supra memorata reposita, praescriptum est:

℞. Inf. Ipecacuanh. [gr. xv.] ℥v
Aeth. acet. ℈j
G. arab. ʒij
Acidi muriat. ʒß
Syr. Alth. ℥i

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

Ceterum cum respiratio impedita esset, vesicatorium pectori applicatum, alterum nuchae appositum est, derivationis a capite causa. Diarrhoea pertinax, excrementa flocculenta, lenes dolores in utraque regione inguinali, nec non magna systematis nervosi affectio suspicionem, jam antea exortam, morbum,

symptomata synochi gastrici prae se ferentem, typhum abdominalem factum esse, omnino probant, praesertim cum remedia huc usque adhibita nihil fere profecissent. Hirudinibus sedecim abdomini appositis et clysmate ex amylo c. opio reiterato ad calomelanos usum transiimus. Praescriptum est:

℞. Calomelan., Gr. V
Opii puri Gr. $\frac{1}{4}$
Camphor. Gr. $\frac{1}{8}$
Sacchari ℈ß

dent. tal. dos. VI.

Omni trihorio pulvis unus sumendus.

D. XXII. Quibus pulveribus interspatio memorato assumtis nulla tamen morbi remissio observata est. Calomelanos igitur dosis augebatur:

℞. Calomel.
Sacchari āā ℈ß
Extr. Opii aq.
Camphor. āā Gr. i.

d. tal. dos. ij.

Omni trihorio pulv. unus sumend.

Ad diarrhoeam minuendam praeterea aegrotae datum est:

℞. Dec. Colombo [℥ß] ℥vi.
Gummi arab. ʒiij.
Spir. sulph. aeth. ℈j
Syr. simpl. ℥i

Omni hora cochlear majus sumendum.

D. XXV. Diarrhoea nihilominus crescebat; ex-

crementa aquosa et livida reperiebantur. Abdomen omnium dolorum expers fuit, postquam capitis affecti symptomata, gravitas illius, tinnitus aurium aliaque hujusmodi multo aucta erant. Per totum fere diem aegrota in sopore, deliriis blandis nonnunquam interrupto, jacebat. Lingua atque gingiva aridae et crusta fusca obductae erant. Sitis erat ingens, quamvis aegrota ipsa potum haudquaquam postularet. Dec. Colombo, nec non clysmatibus ex amylo c. opio reiteratis porro adhibitum est:

℞. Dec. Alth.
Aq. oxymuriat. āā ℥iij.
Tr. Opii theb. ℈i.
Syr. Alth. ℥i.

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

Fomentationes ex ol. Terebinth. toti abdomini impositae sunt.

D. XXVII. Sub lucem sequentis diei magnum virium collapsum animadvertere licebat. Pulsus admodum frequentes, celeres et debiles, respiratio valde difficilis, sopor adauctus nihil porro sperandum esse comprobaverunt. Aegrotae datum est:

℞. Inf. Valer. [℥iij.] ℥vi
Liq. Ammon. acet. ℥ß
Sp. sulph. aeth. Gutt. X.
Syr. simpl. ℥i

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

Status morbi in horam pejor factus est; pulsuum frequentia et celeritas in tantum auctae sunt,

ut denuo vix sentirentur. Extremitates frigebant. Cutis totius corporis externa sudore frigido obtecta erat. Respiratio stertorosa fiebat. Aegrota viribus consumptis diem supremum sub vesperam obiit.

SECTIO CADAVERIS.

In intestino tenui multa ulcera diversae magnitudinis apparuerunt. Revera cicatrisata non reperta. Cavi thoracis organa sana apparuerunt. Praeter cerebri vasa sanguine nimis repleta in cavo cranii nullam destructionem animadvertere potuimus.

II. Friderica Müller, ancilla, viginti septem annos nata, cum die XIII mens. Novbr. anni praeterlapsi in nosocomium Caritatis reciperetur, tam aegrotabat, ut de anamnesticis nihil fere comperiri posset. Vix experti sumus, aegrotam ante quatuordecim circiter dies febre intermittente quotidiana correptam fuisse, quacum diebus nonnullis praeterlapsis febris continua remittens, magnam totius systematis nervosi affectionem prae se ferens, sese conjunxerit. Die receptionis illius febris intermittentis paroxysmus adhuc adfuerat. Sensorium aegrae admodum affectum erat, cum in statu fere soporoso versaretur. Facies rubebat; lingua arida, rubra, nonnullis locis muco flavescente obducta erat; in lineamentis faciei malum gravioris momenti expressum erat. Abdomen paululum sensile reperiebatur, imprimis in regione epigastrica. Pulsus erat febrilis, frequens et celer, neque debilis

neque parvus. Corporis calor adauctus. Ciborum appetitus defuit, sed ingens sitis aegrotam vexavit. Diarrhoea ex nonnullis diebus aderat. Praescriptum est:

℞. Saturat. Kali. carb. ℥iv
Aq. fontan. ℥ij
Syr. simpl. ℥i

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

D. XIX Noctem insequentem aegrota inquieta et sine somno peregit. Sub lucem diei, praeter lenem febris remissionem nihil fere mutatum apparuit in statu morbi. Saturatione reposita, ut symptomata nervosa amoveantur, praescriptum est:

℞. Dec. Alth. ℥iv.
Aq. oxymur. ℥ij
Syr. simpl. ℥i

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

Pro potu ordinario aegrota accepit: mixt. ex ac. tart. ℔i. Ad dolores in abdomine leniendos hirudines sedecim loco affecto appositae sunt.

D. XV Quibus medicaminibus adhibitis status morbi haudquaquam melior reddebatur. Abdomen sensile permansit, aeque ac febris alacris nec non symptomata nimiae systematis nervosi affectionis pertinaciter perseverabant. Respiratio brevis et impedita, nec non tussis nonnunquam apparens, pulmones sympathice forsan affectos esse, demonstrabant. Excrementa flocculis albuminosis immixta, suspicionem inflammationis tubi intestinalis in ulcerationem jam transitae ceterum demonstrabant. Ut cutis func-

tio paulisper adjuvaretur, aegrota balneo caute imposita est; loco affecto abdominis hirudines sedecim iterum applicatae sunt et interne, praeter aq. oxymuriat. supra jam memoratam, praescriptum est:

℞. Calomelan.
Sacchari aa Gr. X

d. tal. dos. ij: omni trihorio pulvis unus sumendus.

D. XVI Dolores abdominis paulisper imminuebantur, attamen febris alacris perseverabat, nec symptomata affectionis nervosae evanuerant. Aegrota balneo iterum imposita, accepit:

℞. Calomelan. Gr. V
Sacchari ℈ß
d. tal. dos. III

Omni trihorio pulvis unus sumendus.

Potui datum est:

℞ Acidi phosphor. ʒiij
Syr. rubi Jdaei ℥ij

Sub vesperam febris, uti diebus praeterlapsis, exacerbatio sat memorabilis erat. Sub lucem diei sequentis aegrota paulo melius se habuit, quamvis dolores in abdomine minime evanuissent, ita ut hirudinum applicatio necessaria esset. Ceterum balneum iterum adhibitum est, et, acido phosphorico tussim movente reposito, pro usu interno praescriptum est:

℞. Dec. Alth. ℥vi
Liq. Kali acet.
Sacchari aa ℥ß.

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

Pluries per diem aegrota alvum deposuit: sub horam quintam febris exacerbatio incepit et horis matutinis sequentis diei finita est. Dolores in abdomine evanuerant. Interne aegrota unam adhuc Calomelanos dosin ad Gr. V accepit.

D. XVIII Nihil mutatum in statu morbi. Praescriptum est:

℞. Calomel. Gr. V
Sacchari ℈ß
d. tal. dos. II.

Omni trihorio pulvis unus sumendus.

In hypochondrium dextrum dolorificum iterum repertum ungt. mercurial. ℈ij infricati sunt, ut videbatur bono successu. Kali aceticum continuabatur.

D. XXI Febris quaedam remissio apparuisse videbatur; aegrota in universum sui compos erat et nullas querelas exhibuit. Nihilominus febris alacris permansit. Balneo iterum adhibito sub vesperam magnus sudor in toto corpore erupuit, magnam omnium symptomatum remissionem efficiens. Ad diarrhoeam autem leniendam praescriptum est:

℞. Dec. Colombo [℥ß] ℥vi
Gummi arabici ʒiij
Sacchari ℥i

Omni hora cochlear majus sumendum.

Sub mediam noctem sudor frigescebat. Respiratio jam antea difficilis stertorosa facta. In deliriis hora septima matutina aegrota diem supremum obiit.

SECTIO CADAVERIS.

Pulmo sinister pleurae nimis adhaesit; in pulmone dextro tubercula nonnulla reperta, praeterea autem nihil in cavo thoracis animadvertere licuit.

Cavo abdominis aperto in intestino tenui magna ulcerum copia in conspectum venit, quorum nonnulla pura jam reddita erant et in cicatrisatione magis minusve versabantur. Alia autem charactere ulcerativo adhuc imbuta erant. Nonnullis locis in parte intestinorum inferiore inflammatio tunicae mucosae adhuc animadverti potuit, nec non symptomata transitus illius in excoriationem et ulcerationem in conspectum venerunt. Ceterum in cadavere nihil novi repertum.

III. Carolus Gericke, viginti duos annos natus, refrigerio, cum admodum calefactus aquae frigidae magnam copiam bibisset, ex diebus nonnullis diarrhoea laboravit, cui ante paucos dies, priusquam in nosocomium Caritatis reciperetur, alia adhuc morbi symptomata sese aggregabant. Calorem nimirum totius corporis adauctum aegrotus sensit; in parte inferiore thoracis dolores pungentes conquestus est; caput gravatum, dolorificum erat; sitis permagna. Quae symptomata die receptionis (d. XX mens. Octobr.) observare nobis licebat. Ceterum quoque leniore digitorum tactu in abdomine de doloribus aegrotus conquestus est. Lingua rubra et arida, in medio paulisper obducta, pulsus febrilis, modice plenus et magnus justo frequentior. Praescriptum est:

℞. Dec. Alth. ℥vi
Nitri dep.
Ammon. muriat. āā ʒi
Sol. Liquirit. ℥ß

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

D. XXI. Quae medicamina, cum diarrhoeam, ut saltem videbatur, augerent, reposita sunt. Adhibitum est:

℞. Dec. Colombo [℥ß] ℥vi
P. rad. Salep ʒß
Tr. Opii theb. ℈i
Sacchari ℥i

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

Abdomini propter dolores hirudines sedecim appositae sunt. Cedebant quidem, diebus nonnullis autem praeterlapsis redibant et hirudinum applicationem ad regionem epigastricam iterum requirebant. Simul aegrotus caput gravatum et vertiginem accusavit, nec non magnam totius corporis debilitatem. Respiratio normalis erat.

D. XXIII. Diarrhoeae pertinacis causa clysma ex amylo c. opio applicatum est; interne, dec. Colombo reposito, praescriptum est:

℞. Dec. Alth. ℥iv
Aq. oxymuriat. ℥iij.
Sol. Liquirit. ℥ß

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

D. XXIV. Quae medicamina neque symptomata nervosa, neque diarrhoeam minuebant. Pulsus debi-

lis et parvus factus, paulisper tensus, frequens celerque manet. Excrementa nihil novi habent. Ad dolores in regione epigastrica pertinaces fugandos vesicatorium loco affecto applicatum est.

D. XXV. Aq. oxymuriat. reposita ad diarrhoeam sistendam fortiora etiam remedia in usum medicum vocarentur necesse videbatur. Praescriptum est:

℞. Dec. rad. Arnic. [℥i] ℥vi
Tr. Opii croc. ℈i
Spir. sulph. aeth. ʒß
Sacchari ℥i

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

Debilitas universalis, nec non affectio sensorii augentur. Dolores in abdomine leniore gradu perseverant; pertinaciter diarrhoea durat. Omnia symptomata, praeprimis autem excrementa flocculis mucosis immixta in tubo intestinali ulcerationem adesse comprobant.

D. XXVII. Dec. Arnic. ad statum aegroti meliorem reddendum nihil fere valente hodie reposito aegro praescriptum est:

℞. Inf. Ipecac. [℈i] ℥vi.
Mxt. oleos bals. ʒi
Tr. Rhei aq. ʒvi
G. arabici ʒij
Syr. simpl. ʒi

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

D. XXVIII. Quae medicamina diarrhoeam mi-

tigantia reposita sunt, quo facto aq. oxymuriat. rursus adhibita est.

D. XXX. Diarrhoea nec non debilitas universalis minuuntur; capitis autem gravitas et vertigo semper manent. Aegrotus, ut vires illius paulisper sustententur, accepit:

℞. Decoct. Alth. ℥vi
Acidi phosph. ʒvi
Syr. rubi Idaei ℥i

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

D. I. mens. Novembr. Quamvis diarrhoea leniore gradu perseveret, attamen excrementorum natura, nec non aliorum symptomatum magna remissio ulcerationem intestinorum omnino fere fugatam esse, nobis demonstrant. Aegrotus non nisi de minore capitis gravitate et debilitate querelas facere potest. Medicamina porro in usum vocare superfluum habebatur; pro potu ordinario aegrotus accepit Dec. Oryzae c. Sacch. et Cinnam.

D. IX. Ex pluribus diebus symptomatum periculum minantium nullum observare licebat. Diarrhoea pertinaciter perseverans e nimia aegroti debilitate originem trahere videtur. Per alvum excreta ceterum normalia. Virium adjuvandarum causa ordinatum est:

℞. Dec. Chinae [℥i] ℥viij
Tr. aromat. ʒij

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

D. XVI. Quae compositio bene egit in aegro-

tum; vires in dies augentur. Ceterum nulla rerum mutatio.

D. XX. Vomituritionum causa emeticum ex Ipecac. datum, quod, quamvis mirum videatur, nimium vomitum ciebat. Ad illam sistendam praescriptum est:

℞. Inf. Ipecac. [℈i] ℥vi
Tr. Rhei vinos. ℥i

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

D. XXII. Diarrhoea persistens, dolores in abdomine redeuntes, excrementa copiosa et pejora iterum reddita, morbum recidivum factum esse, comprobaverunt. Hirudinibus sedecim loco affecto abdominis appositis, Calomelanos usus statim in auxilium iterum vocatus est:

℞. Calomel.
Sacchari aa ℈ß
Camphor.
Extr. Opii aq. aa Grß.

dent. tal. dos. III.

Omni trihorio pulvis unus sumendus.

Praeterea, ne diarrhoea major fiat, aegrotus accepit:

℞. Dec. Colombo [℥ß] ℥vi
Gummi mimos. ℨiij
Tr. Opii theb. ℈i
Sacchari ℥i

Omni bihorio cochlear majus sumendum.

D. XXIV. Diarrhoea copiosa pertinaciter perse-

verat; excrementa ter quaterve per diem ejecta iisdem signis imbuta apparent, quam antea, cum ulceratio intestinorum satis conspicua adesset. Clysmate ex amylo c. opio applicato balneo aegrotus impositus est. Praeterea, Calomelano non reiterato, dec. Colombo porro in usum vocatum.

D. XXV. Diebus praeterlapsis sensim sensimque diarrhoea imminuitur, quam ob rem dec. Colombo repositum est. Cujus loco aegrotus accepit:

℞. Asae foetid. ʒij
G. arab. ʒiij.
Aq. font. ℥vi
F. l. a. emuls.
Syr. simplic. ℥i

Bis per diem cochlear majus sumendum.

D. III mens. Decbr. Diarrhoea aeque ac sensilitas abdominis iterum desunt. Vires augentur. Quae omnia remissionem morbi indicant. Medicaminibus non porro, ast diaeta blanda, vires adjuvante, aegrotus utitur. Cum alte inspirans in hypochondrio sinistro dolores persentiat, ut infricetur locus affectus Linim. ammon. camphor. ℥i accepit.

D. XII In meliore statu aegrotus versatur. Sudor per noctem aliquando illum infestans inf. Salv. theiforme frigide parato nonnunquam assumto mox cessit. Virium causa, ut antea, praescriptum est Dec. Chin. c. Tr. aromat.

Stadium reconvalescentiae aegrotus mox superavit; in diem vires augentur, ita ut die XI mens. Januarii pro sanato nosocomium Caritatis relinquere posset.

VITAE CURRICULUM.

Ego Franciscus Camillus Ottomar Klatten, confessioni evangelicae addictus, Neosedini, Pomeraniae oppido, natus sum die tertio mensis Maji A. MDCCCXII. (anni millesimi octingentesimi duodecimi.) Matrem meam e gente Leopoldiana ante undeviginti annos mors mihi eripuit; pater, consiliarius in causis publicis ante quinque annos diem supremum obiit. Primis literarum elementis imbutus, gymnasium Neosedinense adii, ibique literis, quae ad studia academica viam muniunt, operam navavi. A. MDCCCXXVIII instituti medico-chirurgici Friderici Guilelmi civibus adscriptus per quadriennium hisce praelectionibus interfui.

Ill. Wolff sen. de hodegetice, logice et psychologia; Ill. Link de historia naturali, botanice et toxicologia; Ill. Turte de physice, chemia et pharmacia; Ill. Hermbstaedt de chemia pharmaceutica; Cel. Eck de physiologia; Beat. Knape de osteologia et splanchnologia; Ill. Schlemm de syndesmologia; Beat. Ru-

dolphi de encyclopaedia et methodologia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum et foetus humani, de entozois et de physiologia; Ill. Osann de materia medica et de fontibus medicatis; Ill. Hufeland jun. de pathologia generali, semiotice, therapia generali et speciali; Ill. Horn de pathologia speciali, de morbis syphiliticis et de morbis mentis et animi; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi et medicina forensi; Ill. Kluge de chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis, de arte obstetricia, de arte fascias applicandi et de akiurgia; Ill. Rust de chirurgia et generali et speciali; Cel. Dieffenbach de herniis disserentes audivi. Artem cadavera rite dissecandi Beat. Knape et Beat. Rudolphi me docuerunt. Celsi libros Cel. Hecker mihi interpretatus est.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis et obstetriciis virorum Ill. Wolff, Bartels, de Graefe, Kluge, Juengken, Rust et Truestedt interfui.

Studiorum cursu absoluto abhinc decem menses medici inferioris munere in nosocomio Caritatis fungor.

Tentaminibus et philosophico et medico nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Syphilis non semper sanari potest.

II. Hydrocele tutissime incisione sanatur.

III. Sententia: »post coenam stabis vel mille passus meabis» vera.

IV. Medicus venenis nunquam utitur.

V. Suppuratio sine inflammatione exoriri non potest.

VI. Exanthemata pro crisi habenda.